23

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA, *DE* PESTE

QVAM

PRÆSIDE ARCHIATRO OPTIMO MAXIMO

AVCTORITATE ET CONSENSV

GRATIOSISSIMÆ FACVLTATIS MEDICÆ

IN ALMA LVDOVICIANA,

PRO

SVMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS.

MAGNIFICI ET EXCELLENTISS. SENATUS ACADEMICI EXAMINI SOLENNI SUBMITTIT

JOHANN. JACOB. DILLENIUS,
DARMSTAD.

AD DIEM JUN. ANNI MDCCX. H. A. L. C.

GISSÆ-HASSORUM,
Literis JOHANN. REINHARDI VULPII, Acad. Typogr.

PRÆFATIO.

DUM Diſputationis Inauguralis *loco aliquid conſcribendum erat, circa varia hærebat animus: Poſtremæ erant Affectiones in Viris Hypochondriacæ, Fœminis Hyſtericæ dictæ. Verum mox argumenti ſubtilitate deterritus, & quod multa neceſſaria non ex libris, ſed ex Morbi natura & Hiſtoria poſt longum Artis Medicæ uſum, eruenda deficerent, multa ex ſolertiſſimo & feliciſſimo illo Morborum Indagatore* Th. Sydenham *tranſcribenda forent, ſine quibus omnis circa hæc diſquiſitio inutilis fuiſſet atque manca, id tamen vitii ſimul habuiſſet, quod unius Auctoris ſpoliis nimis onuſta dici potuiſſet, omnem de Vertumno iſto curam & cogitationem tum quidem dimiſi. Tandem in Peſtem incidens, & utcunque in cœpto perſiſtens, grave non minus humeris meis onus impoſitum ſenſi. Hujus enim cognitio adeo in profundo latet, ſive id ex morbi natura, ſive Medicorum culpa contingat, ut poſt omnium, qui de Peſte ſcripſerunt, lectionem quid eligas aut quo te vertas, fere neſcias. Qua de cauſa quidam, & inter hos* Fr. Joël *eo tandem delapſi ſunt, ut Dei Omnipotentis digitum ſolum hic agnoſcant, omnem de hac Inquiſitionem irritam eſſe exiſtimantes, tanquam re ingeniis noſtris longe ſuperiore. Anſam ſuppeditavit Mala Lues Poloniam bello rapiniſque vaſtatam a. 4. vel. 5. annis miſere affligens; Orſa, ut fertur, in regionibus quæ Turcarum dominatu premuntur vicinis. Exhauſtis urbibus Came-*

necia, Lembergo, Cracovia, Varſavia, tractum Viſtulæ ſequens in adjacentibus atrociter graſſata eſt. Peſtifera ſeminia Univerſale Frigus poſt omnium, qui tum erant, hominum memoriam acerrimam & intenſiſſimum, cum Januario Anni 1709. *inopinato ingruens, & aduſtis frugibus ac arborum plerarumque genere, in Ver uſque productum, extinguere non valuit, ſed appetente Solſtitio æſtivo rurſus mota, ad Balthici uſque maris oras omnia populata ſunt. An, quod horremus ad occurſum æquoris jam tum ſuperiori anno in latera & circumjacentes regiones disjecta, aëre ad ſiccitates & Inflammatorios morbos producendos jam ab æquinoctio autumnali admodum diſpoſito, & exactis ab ultima Peſte* 30. *ferè annis, æſtivo calore de novo emerſura ſint, contermini brevi experientur.*

Morbi Hiſtoriam *ex fidis Obſervationibus colligere, & ex hac dein curandi rationes deducere alloboravi, ſpernens curioſiores* αἰτιολογίας, *quæ non magis ad pellendos morbos videntur neceſſariæ, quam Nauclero Ventorum, aut fluxus & refluxus maris ratio: Pictori ad egregiam quandam imaginem perficiendam, colorum cauſſæ: aut Chymico atomiſtica rerum principia ad inſtituendum vel excogitandum proceſſum, ac medicamentum præparandum.* Ἁπάντων ζητοῦντες λόγον, ἀναιροῦσι λόγον, ἅμα ἢ τὸ εἰδέναι. *Theophr.*

Deus T. O. M. conatui ex alto benedicat!

Mor-

Morbi Hiſtoria Generalis.

§. I.

PRimum quidem animadvertimus, ſubtiliſſimum illud artificium, quo natura in Morborum epidemicorum productione utitur, ſi unquam alibi, in Peſte certe, morborum omnium quotquot adhucnoti ſunt, maximo & perniciosiſſimo clare ac luculenter conſpici. Hæc enim imminente Conſtitutione peſtilenti, ad Æquinoctium vernale ſub velo Febris novæ hunc illumque aggreditur, atque ſenſim cum calore evecta, inſtante Solſtitio æſtivo abjecta larva typum induit, atque termini brevitate, ægrotantium numero externorumque ſignorum apparatu manifeſta redditur; Auguſto & Septembri menſibus ad Æquinoctium autumnale uſque immaniſſime debacchatur, quo præterlapſo paulatim imminuta nocendi vi, lentiore gradu licet, mitius agere, ac ad communem magis febrium naturam accedere incipit, donec tandem ad Solſtitium hiemale in totum intercidat, & aliis morbis, qui hactenus nuſquam comparuerant, ſtationem locumque concedat.

§. II. Hæc eſt periodus quam ſervat lues in urbibus & ubi magna vis hominum reperitur; at in pagis & locis non adeo populoſis his ſe alligari legibus non ſinit, ſed nunc ſerius, nunc ocyus orſa breviori temporis ſpatio circuitum curſumque abſolvit: tum ob miaſmata non adeo multiplicata, tum tum quod fere non ſuperſint in quos ſæviat, reliquorum vero conſtitutio robuſtior peſti ſuſcipiendæ magis reſiſtat. In Ægy-

pto cum Autumnali æquinoctio apparet, hinc progreſſa ad Solſtitium æſtivum uſque magnam ſtragem edere obſervatur, quo inſtante, utut atrociſſima fuerit derepente ceſſat, notante Ægyptiacarum rerum bene gnaro *Pr. Alpino*. In aliis ſub alio cœlo regionibus ut ſe habeat ignotum, nec de eo quicquam literis conſignatum recordor.

§. III. Verum præter hunc particularem magis Anni aeriſque ſtatum, conſideratione digna διάθεσις ſeu conſtitutio iſta, quæ, ſive id contingat certos in corpore vitioſos humores coacervando, ſive peculiarem quandam ſanguini humano κρᾶσιν aut texturam conciliando, ſive alia occulta magis ratione, poſt certa demum quædam annorum intervalla, ad tam atrox malum ſuſcipiendum corpora hominum diſponat vel apta reddat. Qui cum Medicorum parte maxima aerem annumque auſtrinum & pluvioſum incuſare voluerit, magnis eum difficultatibus premi exiſtimarem, nec unquam rationem daturum claram & firmam, qui fiat, quod in Ægypto, ubi nullæ pluviæ, Peſtis nihilominus adeo freqnens ſit, ut ſeptennio ut plurimum aut decennio recurrat: Cur in his regionibus poſt frequentes ſæpe annorum conſtitutiones auſtrinas non exoriatur, ſed revolutionem illam magnam & certum annorum numerum præſtoletur? cur in illis globi terreni partibus, quæ tropicis circumſcribuntur, Peſtis non ſemper compareat, quin contra ſi non ubique, ad fluvii Nigri ſaltem in Africa oras accolæ ab eadem liberi permaneant? licet interea hi aliique ſub eadem latitudine plerique tractus, per plurimam anni partem continuis irrigentur pluviis, alias adeo neceſſariis, ut ſine iis erectum tum tolerare ſolem inquilini non valerent. Et in proclivi foret, ratione non minus quam experientia ſtatuminare, contrariam prorſus ſiccam videlicet & calidam, vel etiam talem, quæ quantum quidem ſenſibus percipi poteſt, ſaluberrima adpareat,

Peſti

Peſti ſeu producendæ ſeu fovendæ longe plus favere , quam ex hactenus notatis quamcunque conſtitutionem aliam.

§. IV. Enimvero quo ſe cunque demum modo hæc res habeat, id nemini non plus ſatis conſtare arbitror , ex qualitatibus illis manifeſtis Cauſsas Peſtis procatarcticas deducere velle admodum lubricum eſſe & incertum. Quantumvis enim in Morborum Inflammatoriorum maximo producendo conſtitutio tempusve calidum multas ſibi arripere partes videantur , advertenti tamen Peſtem nunc cum cœlo pluvioſo, nunc in alia regione & vel eodem tempore cum calore magno ſæviiſſe, in aliis regionibus calidiſſimo licet cœlo ſubjectis nunquam obſervatam , omnia hæcce minus ſufficere apparebit, & longe altioris eſſe indaginis , & difficilius circa hæc certi quid determinare, quam vulgo creditur.

§. V. Forſan circumſpectior aut curioſior quiſpiam ſubtiliſſimam illam ſubſtantiam , vel naturæ acidæ Ωm , toti aeriæ maſſæ commixtum , ac longe lateque diffuſum , per experimenta contra omnes exceptiones luculentiſſima & firmiſſima ſtabilitum , in naturali craſi inſigniter alteratum vel etiam perverſum non inconſulto hic accuſaret. Quicquid ſit, hanc Conſtitutionem non minus , quam alia complura , circa quæ indaganda verſamur , altiſſimis involutas tenebris fateri neceſſum habemus. Magno afficiatur admirationis ſenſu , quicunque conſiderare voluerit, ex morborum agmine , qui antiquis, vel recentioribus temporibus humano generi exitiales fuere, non paucos hodie paſſim obvios, illis ignoratos, non paucos hodie à priſtina truculentia multum receſſiſſe, vel longa ætate quaſi confectos penitus concidiſſe , hunc omnium fere , quos ſcimus antiquiſſimum juxta & immaniſſimum , in hæc uſque tempora atque dies periodum ſuam obſervare & magna ſubinde clade mortales afficere. Vel hoc tamen nomine par eſt , ut

cum

cum *Th. Sydenh.* Clementiſſimum ac Benigniſſimum Numen humillimo cultu veneremur, quod aeris conſtitutiones λοιμώδεις rarius & vix frequentius, quam poſt annorum circiter 30. aut 40. intervalla evenire, nec tam atrocem hoſtem ultra triennium adeo ſævire in eodem loco voluerit.

VI. §. Qualiscunque tamen fuerit κατάστασις λοιμώδης aliud inſuper accedat oportet, μίασμα nempe ſeu ſeminium, quod ob magnam, qua pollet, nocendi vim aut vitium Venenum appellare liceat. Hoc favente conſtitutione ſuſceptum, ac cum humoribus confermentatum, augetur admodum & in ſpeciem quaſi multiplicatur tum laborantium halitibus, tum extinctorum expirationibus, ut jam non amplius fomite vel immediato contactu opus ſit, ſed aer ipſe taliter contaminatus cum ſpiritu corpus ſubiens ſuo marte inficere valeat, maxime ſanguinis nexu conjunctum, aut ad afflatum excipiendum paratis humoribus refertum, aut alio latente magis modo prædispoſitum. Non alia autem ratione magis diſſeminatur malum ac exitiale evadit, quam ubi primus, qui in domo quapiam prehendebatur, ſuccumbere cogitur; ob venenum aut ab initio nimis vehemens, aut in progreſſu ex debilitate naturæ, incongrua medicina &c. ſub ipſum tandem, ſi placet, mortis articulum in ſtatum pluſquam perfectum, aſſimilatis humoribus & in ſuam naturam converſis, evectum. Tum enim rebus ſic ſtantibus ſuperſtites ſenſim contagio proſternuntur, aut ægre admodum evadunt; at poſt ſalutem primi, reliquos non adeo facile, ſubjugato tum quaſi veneno & humoribus involuto, infici, vel infectos, plerumque tamen evadere obſervatum.

§. VII. Qua de cauſſa a notantibus *Gr. Horſt. & P. Sorbaith.* poſt. 9. ut plurimum aut 14. demum diem, etiam in iis qui ſolum mutarunt, relicta omni ſupellectile, veneni virulentia ſe exſerat? non minus ac alia quæ circa naturam aut eſſentiam hujus

hujus Veneni ulterius explicari quis deſideraret, me ignorare fateor. Non ſum neſcius quæ de Veneno peſtilenti hinc inde reperantur Auctorum ſententiæ ac opiniones diverſiſſimæ; quas, cum attentiori animo perluſtratæ minime ſatisfacere videantur, recenſere operæ-precium non duxi. Imaginationem & terrorem peſtilentialem, quod in hunc uſque diem Viris doctis placet, tantopere incuſare, aut his primas deferre non poſſumus. Ut enim reliqua, totamque Morbi hiſtoriam, quæ huic obſtat opinioni, taceam, tralatitia illa ſolvant, & rationem afferant, qui primus omnium Peſtem contrahat? qui multi horrore terroreque peſtifero correpti eadem non tangantur? qui ἀπαθεῖς non minus infantes quam contagium atque terrorem ſuſque deque habentes Mahumedani de nullo hic ſibi privilegio gratulari queant, quin contra graviſſime plectantur?

§. VIII. Uſque dum Hiſtoria Epidemicorum, quorum princeps Peſtis, a qua fortaſſis illi natales ducunt, & in quam abſoluta periodo deſinunt, clarius, (quod deficiente adeo *Sydenhamii* ingenio, nemo eorum, quibus Artem ſervandorum hominum in magnis præcipue urbibus per longum tempus exercere contigit, aggreſſus eſt) continuis ſeculorum aliquot fidiſque Obſervationibus ſuperſtructa, eluceſcat, cum graviſſimis Auctoribus exiſtimare liceat, Peſtem aut regioni cuidam Endemiam nobis transmitti contagio, aut ex fomite alicubi ſuperſtite in apricum proferri, & accedente idonea aeris diatheſi popularem fieri. Atque ideo non ſolum ſeminia Peſtis per multos annos in Veſte, ſtragulis, aliiſque concluſa, poſtea commota emicuiſſe & Peſtilentiæ morbum de novo concitaſſe legimus; ſed quod majoris erat conſiderationis, ſi inſigniorum Peſtium originem ſcrutari voluerimus, ex regionibus verſus Orientem nobis poſitis primum allatas plerumque comperimus.

Hiſtoria ſpecialis, indicationes & Cura.

§. I.

CUM *rigore* aut *horrore* aggreditur, ſuccedunt *Vomitus enormes, Dolor* circa *cordis* regionem, ac ſi torculari premerentur, *capitis*, aut, non ſecus ac in Variolis, *dorſi* magnus, *debilitas & ægritudo vehemens, Oculorum rubor, linguæ ariditas & nigredo, ſitis, inquietudo, Calor intenſiſſimus*, non palpantis tactu, ſed ægrorum relatione judicandus; qui flammam in profundo ſentiunt, ac inuri ſibi viſcera ajunt, licet qui *ſopore* premuntur, de hoc non conquerantur. *Difficultas ſpiritus, vigiliæ, delirium, Bubones & Carbunculi. Pulſus & urina varii ac infidi.*

§. II. Animadvertendum eſt, ſub Peſtis admodum funeſtæ exordio, Venenum peſtilens ita tenue & ſubtile, aut etiam extreme-maleficum exiſtere, (quæ ſpirituoſitas & in aliorum Epidemicorum principio obſervata eſt,) ut nil tale opinantes, ſine ulla febris præſenſione, ſine bubonibus ac carbunculis, licet non ſine maculis & vibicibus, ſubtili illa, ut videtur, ſanguinis parte, Ω vitalis dicta, ſyderata Maſſaque Sang. citiſſime diſſoluta, tanquam fulmine tacti momento temporis proſternantur & concidant. Sed hoc rarius eſt, nec adeo diu producitur. Non paucis vero id contingit beneficii, ut nec febre, nec alio graviore ſymptomate prægreſſo, (quanquam horrorem leviusculum, aut per ſumma corporis diffuſi frigoris ſenſum ſemper præceſſiſſe non immerito quis exiſtimet) ſpreta regiminis cura, cum bubonibus ſuis in foro verſari, & ſuetis vitæ muniis ſanorum more præeſſe queant. Alii, aura venenoſa has illasve partes transvolante, in variis locis dolores ſentiunt, natura interim adeo robuſta, ut inteſtinum hoſtem temnat & tempori conſu-

men-

mendum tradat, vel levi opera per hanc illamve portam excludat. In pleriſque, corporis minus firma conſtitutione ab aeris diatheſi ad affectum ſuſcipiendum diſpoſita, Natura ad eliminandum vel ſubjugandum Venenum Febrem concitat, quæ tamen ſeu impar tanto hoſti, ſeu præpropere nimis agens, raro ad optatum finem opus ſuum perducit.

§. III. Si de Veneno peſtilentiali certius nobis conſtaret, hic, de quo nobis ſermo, morbus in longe clariore luce theorica & practica poſitus foret; Verum cum & aliorum multo levioris ſubſellii morborum non minus, quam rerum naturalium exactam cognitionem intellectus noſter aſſequi nequeat, quis in Morborum maximo & obſcuriſſimo jure merito poſtulet, ut, non ſatisfacientibus aliorum ſententiis vel opinionibus, quæ in Arte hac quotidie fungorum inſtar naſcuntur ac pereunt, Peſtis naturam altius rimari, vel in eſſentiam ejus pervenire aut irrumpere etiam ultra vires conemur?

§. IV. Nec tamen eſt ut magnopere angamur, qui tandem morborum curatio expediri queat? cum, monente *Sydenham* non Eſſentiæ cauſarumque, ſed Methodi convenientis atque experientia comprobatæ cognitione, plurimorum Affectuum curatio abſolvatur. Igitur donec liquidiſſimam & certiſſimam Peſtis cognitionem aſſequamur, ex qua directe & ſine erroribus morbum aggredi queamus, vel ſine hac exoptatum adeo ſpecificum, quod non ſecus ac *Cortex Peruv.* febres intermittentes, Luem certo ac ſemper fere, ſine evacuatione etiam quadam eradicet, per ἐμπειρίαν tandem innoteſcat, quid in Curatione hujus hactenus tentatum, qui defectus ſuppleri, aut alia, quæ plus promittat, adaptari queat Methodus, diſpiciamus.

§. V. Neminem neſcire arbitror, quam parum votis reſpondeant Methodi (ſi tamen quondam obſervatæ) & reme-

dia omnia, ſub nomine *alexipharmacorum*, *alexiteriorum*, *alexicacorum*, *antidotorum*, *bezoardicorum & cordialium* ſine numero propoſita. Cum enim animadverterent veteres, ex inflicto hauſtoque veneno ſimilia nonnunquam produci ſymptomata iis, quæ Peſtem comitantur vel ſuccedunt, rationi conſonum videbatur, eadem utrobique convenire aut juvare poſſe. Unde factum eſt, ut quæ vel revera, vel per accidens, vel per traditiones, interne aut externe profuiſſe, credebantur, non *Simplicium* tantum numerum in ingentem molem evexerint, ſed etiam ſeculorum aliquot poſteriorum Medici, tum Galenici, tum Chymici nimis ſeduli *compoſitorum decompoſitorumque* claſſem largiſſima acceſſione auxerint. Non caperent pagellæ hæ omnia, quæ in hunc finem a variis congeſta ſunt. Apud *Dioſcoridem* nulla fere tam abjecta planta, quæ non adverſus Venena commendetur. *Ruta*, *ſcordium*, *rad. angel. Zedoar. contrayerv. myrrha*, *camph. ſuccin. lap. bezoard. Malacc. unicornu*, *ſmaragdus* præ aliis celebria ſunt ſimplicia; quibus non ita pridem acceſſere multa Chymico artificio præparata medicamina. At de his omnibus & aliis laudatiſſimis remediis, vereor ne cum *Thucydide & Cratone* dicere queamus: nullam adhuc inventam eſſe Antidotum tanto malo vincendo parem, ſed in abdito naturæ ſinu deliteſcere & ſoli Deo notam eſſe.

§. VI. Vulgaris etiam ac uſitatiſſima *medendi ratio*, quæ in eo conſiſtit, ut ad malignitatem debellandam, quam primum *ſudoriferum* (in quem finem *Alexipharmaca* illa occulto modo agentia præſto ſunt) exhibeatur, quam inefficacem ſe præſtet, triſtis loquitur experientia, qua vix quintum quemque evadere conſtat. Cum enim ob intermiſſam Venæ ſectionem, vel remedia nimis calida exhibita, raro obtineri queant ſudores, aut ſi triplicatis & quadruplicatis etiam doſibus

bus tandem extorqueantur, per breve tamen temporis ſpatium fluere permittantur, quo viz. ægrorum vires ſuſtentari & cordialibus refici poſſint, fit inde, ut interpolatis hujuſmodi ſudorum propulſionibus, Venenum, quod longa ſudatione excludi debebat, in via ſubſiſtat, quiete vires acquirat, atque poſtliminio Sang. Maſſam atrocius exagitet, bubonibus ac carbunculis interea copioſe provenientibus.

§. VII. Hæc animadvertens Vir in artis operibus exercitatiſſimus *L. Botallus*, (cujus beneficio crebris & copioſis Venæ-Sbusin hunc usque diem Gallia utitur) magno Morbo magnum adapturus remedium, longe aliam ante non auditam ingreſſus eſt curandi viam, per V. Snes videlicet: *ratus eam aliquando inutilem inventam fuiſſe propterea, quod aut tardius, aut parcius quam opus eſſet, aut quod utroque modo circa eam uſurpandam peccatum ſit.* L. de Curat. per Sang. Miſſ. C. VII. §. 2. & 4. *Non enim morbus, pro cujus curatione requirebatur detractio librarum 4. ſanguinis, in quo una tantum detrahitur, ſi hominem interficiat, ideo interficit, quia ſanguis eſt miſſus, ſed quia juſto modo non miſſus eſt, nec forte etiam opportune &c.* in quibus rationum momenta atque curationum exempla adducuntur. Mirum Digniſſimum Virum ante ſesquiſeculum fere florentem, in iis citationibus ac refutationibus Auctorum a tam paucis attactum, minus refutatum. Superiori tamen ſeculo Vir merito ſuo Celeberrimus *Th. Sydenham*, veſtigia *Botalli* ſecutus, hanc Methodum cum ſucceſſu felici in uſum revocavit, & Venenum cum Sanguinis copioſa evacuatione detrahere docuit; de quo videatur *Hiſt. Morb. Acut. S. II. C. II.*

§. VIII. Enimvero cum non alia medendi ratio, ſi in uno alterove ſucceſſu optato deſtituatur; Medicum infamiæ periculo magis objiciat, nec in multis regionibus reperiantur, qui purpurei liquoris profuſionem, quantam quidem laudati

Auctores requirunt, ferre ſuſtineant, an, quod reiteratæ & copioſæ iſtiuſmodi ſang. emiſſiones præſtare debent, medicamentis vel alia ratione ſuppleri queat, perquiramus.

§. IX. Febrium ſymptomata hic in gradu excellenti conſpicua, calor viz. interiora urens, linguæ ariditas, nigredo, ſitis intenſa & reliqua edocent ac loquuntur, vehementi igne flammiſque agitari intus omnia. Nam cum fermentum peſtilentiale ſubſtantiam habeat adeo adverſam liquoribus qui nos perfluunt, ut in uno loco conſiſtere nequeant, ſanguis a Natura, Anima vel Archeo compulſus magnis conatibus adverſus tam infenſum hoſtem inſurgit, & omni ope eum ſubjugare vel amoliri nititur. Quod cum veluti ſpiculis undique transfoſſus, motibus maximis peragere tentat, fit ut, non ſecus ac ſpina carni infixa, univerſus cruor phlegmonen concipiat, & in ingentem molem attollatur; quo in caſu tantum abeſt, ut natura operis ſui partes tranſigere valeat, ut potius multitudine & pernicie venenoſa oppreſſa, intra paucos dies, pro ſubtilitatis gradu veneni majori vel minori, citius aut tardius ſuccumbat. Etenim vaſa hac ratione ultra modum diſtenta, tonum amittunt, nec cum rectore ſuo ſpiritu tumultuantem inquilinum cum extraneo movere aut propellere valent.

§. X. Adeſſe vero *Magnam inflammationem internam*, multa ſunt quæ probant. *anni viz. tempeſtas, calor intenſiſſimus internus, ſanguis pleuriticorum* & aliorum *febribus inflammatoriis* laborantium *ſimilis, aduſta anthracum facies*, in mitiori malo genuina *inflammationum ſoboles*, puris nimirum proventus, *ſymptomatum* reliquorum cum inflammatoriis, pejoris præcipue moris, *ſimilitudo*, & alia. Atque hæc de *Inflammatione* doctrina a ſubtiliſſimo *Sydenh.* ingenio profecta & propoſita eſt.

§. XI. Sive autem *Phlegmone* revera morbum conſtituat,

ſive

ſive tanquam inſigne accidens ægritudini ſuperveniat, id certe nemini non conſtare poteſt, præcipuam hinc, ſi non ſolam, curandi rationem deſumi debere, & *V. Snis*, in Inflammationibus ab omnibus præſcriptæ & expertæ, uſum eſſe longe maximum; ni fortaſſe illam Peſtem, quæ cum magna annonæ caritate conjuncta eſt, excipere quis voluerit. Nec vero vulgare illud, quo contra V. Snem inſurgunt, argumentum ullius eſt momenti; cum virium debilitas, quæ in hoc morbo præſens eſt, non ex eo, quod diſſipatæ vel proſtratæ, ſed quod ſuppreſſæ ſint, proveniat. Auctoritas majori vincitur, & ſi revera noxia aliquando V. S. obſervata, ex incongrua & perverſa id methodo accidit.

§. XII. Quapropter tum *Inflammatione* ipſa, tum conſequentibus, *rubore & inflatione faciei*, (licet hoc in iis qui ſopore premuntur, non aliter ac in ebriis, non ſemper conſpiciatur), *inquietudine*, *Cephalalgia* & aliis ſuadentibus, *ſanguinem*, pro circumſtantiarum ratione, ſemper *detrahendum* exiſtimarem. Depletis enim hac ratione vaſis ſanguiferis & ad ſubſidentiam redactis, pulſus (qui in hoc morbo plerumque debilis, aut ſi naturali ſimilis, duriori tamen arteriæ compreſſione facile detegitur) ſtatim fortior reddetur, & æger, quamvis debiliſſimus appareat, vires oppido recipiet, dolores remittent, ſpiritus difficultas & anxietates, ex dolorifica cordis ac vaſorum expanſione, & moleſtiſſimis contractionum conatibus oriundæ multum minuentur. Attamen, ſuperfluo licet onere iſto corpore levato, & reſtituto hac ratione vaſorum tono, tantum abeſt, ut calor febrisque, quæ ſæpe latet nec ab alio percipitur, inde minuantur, ut potius ferocius multo inſurgant; per reductos enim ad æquilibrium motus ſanguinis inteſtinos & progresſivos, materiæ venenoſæ exterminationem natura omni ope molitur.

§. XIII.

§. XIII. Utrum vero his motibus inteſtinus hoſtis expelli vel ſubjugari queat: an, quæ putatur per apoſtemata excluſio, vere critica ſit? multam & ancipitem habet diſceptationem. Si rerum omnium magiſtram experientiam conſulere voluerimus, palam evadet, non paucos ſine præviis bubonibus & carbunculis reſtitui: in multis bubones, qui veneno adeo referti exiſtimantur, non maturari, ægris interea convaleſcentibus: demum ab eruptione exanthematum non minui ſymptomata, quin potius pleroſque cum bubonibus ſuis & carbunculis interire. Quanquam non negem bubones pure venenoſo (at non ſecreto) ſcatere, nec hinc elicere quis poſſit, eos, qui bubonibus & carbunculis deſtituuntur, ſemper evadere debere; cum natura veneni pernicie & ſubtilitate, aut multitudine & tumultu adeo opprimi queat, ut cruoris maſſa fibrisque præpropere diſſolutis, cauſſa cadere cogatur, & ad externa nil propellere valeat, interaneis lethaliter affectis. Atque hoc in iis, qui hyſtericis vel hypochondriacis paſſionibus debilitata habent viſcera, non infrequenter apparet; nam tales aliquot dierum ſpatio, ſine ſignis etiam externis, & ſine ſymptomatis gravioribus, cum doloribus utplurimum gravativis quibusdam moriuntur.

§. XIV. Igitur cum ex præcoci fructu frugi nil ſperare liceat, in id omni ope enitamur, quo ſanguinem a grumeſcentia & extravaſatione, ſive id ex ruptis ac diſſilientibus præ nimio calore fibris ſanguineis atque vaſorum, ſive alia ratione magis mechanica contingat, integrum ſervemus, verbo, inflammationem ſedemus. Licet enim Væ Sne reſtitutum videatur æquilibrium; id tamen diutinum eſſe nequit, cum ex inflammationum natura, ſanguis in hoc morbo intumeſcentiam & expanſionem nimiam ſemper affectare videatur. Quapropter, pro re nata, iterato *ſanguinem mittere* (cui nec tumorum præſentia obſtare forſan poterit) non dubitarem; poſt ea conquirerem reme-

remedia, quæ ſanguinem in ſubſidentia detinere, & ad ſtatum, ſi non naturalem, febrilem ſaltem redigere, coagulatum aut in partes tandem ſeceſſurum reſolvere, vel, quod magis optandum, ab his immunem reddere valeant. Utrobique per experientiam comprobata reliquis præferenda videntur: *acet. ol. ſulph. ſpir. vitrioli, ſuccus citri, limon.* quo ſolo Turcas Peſtem curare refert *G. Harris de Morb. Infant. Acut. tinct. bellid. mixt. ſimpl. tinct. bez. aq. card. ben. chæref. milleſ. arnic. myrrha, ſperma cet. lap. cancr. mand. lucii p. ſang. hirci, ſulph. nitr. antim. diaph. cinn. nat. & antim.* Non facile crediderim aliud in hunc usque diem compertum eſſe remedium, quod in ſedanda inflammatione efficacius ſe ſiſtat, ac *ſpir. vitr.* Inſigniſſimus de acidis ſalis, ſulph. & vitr. ſpiritibus locus eſt *Minder L. de Peſte. C. 15. Nulla eſt putredo, cujus vires non frangant, nulla infectio, quam non ſuperent, nulla humorum depravatio, quam iſta non corrigant. Hinc ſi mihi vitriolatorum medicamentorum uſus vel interdiceretur, vel inhiberetur, ego ad peſtis curationem nunquam, vel ſaltem inermis accederem.* Præterea nullus fere ſcriptor medicus eſt, qui non in Peſtis curatione tanquam efficacia memoret, vel laudibus efferat acida; qua de cauſſa etiam factum eſt, ut jam a longo tempore ipſorum alexipharmacorum numero adſcripta fuerint. In eo vero error committebatur, quod priſcis temporibus in nulla methodo certæ curæ fiduciam ponerent, nec quantitate conveniente, aut non ſatis diu remedia adhiberent, vel hæc ipſa ex innumeris ſimplicibus compoſitisque, (ſæpiſſime licet ſe invicem pervertentibus) quo ſcilicet omnibus obviam iretur ſymptomatis, omnibusque partibus proſpiceretur, miſcerent, eademque ad ſingulas querelas nimiopere ſatagentes mutarent.

§. XV. Quare in acidorum uſu ſpem ponens maximam dictum *ſpiritum aquæ*, cui *poma citri*, aut *macis & croci*

nonnihil incoctum fuerit, ad acutam aciditatem inſtillarem; de quo liquore moderate frigido per me integrum fuerit patienti ad ſatietatem bibere, aucta aciditate, vel liquoris mineralis doſi, pro circumſtantiarum ratione eo usque, donec morbo & ſymptomatibus levandis ſufficere videatur. Quodſi vero ob morbi vim Maſſam Sang. ſartam tectam ſervari poſſe non confidamus, in progreſſu ea interponantur, quæ in caſu ab alto commendantur, & ſanguinem jam coagulatum reſolvere per experientiam ſcimus, ſola vel cum acidis mixta.

§. XVI. Ipſe æger in editiore ædium parte decumbat: animus ejus erigatur conſolatione varie conquiſita: adſtantes non ſint triſtes & diffidentes, abſint lamentationes, metus & mortis imaginatio. Patiens ſi præ debilitate queat, per diem ſaltem lecto abſtineat, vel non aliis tegatur ſtragulis, quam quibus ſanus aſſueverat; cum medicamenta & diæta refrigerans ni hoc obſervetur, incaſſum adminiſtrentur. Imo regimen calidius & ſupinus in lecto decubitus phrenitidis, comatis, macularumque purpurearum, etiam poſt mortem, ac ſi multis virgis cæſum eſſet corpus, vibicum inſtar perſtantium, cauſſa exiſtit. *Diæta*, qualis in aliis morbis inflammatoriis, obſervetur, excarnis viz. quorſum enim attinet, ægro, cum maximo horrore cibos averſanti, eſculentorum oblatione nauſeam creare vel augere? Cibi quos maxime cupiant concedantur. Rob. ceraſor. rib. berber. refrigerant & roborant.

§. XVII. In immani *vomendi conatu & diarrhœa*, qua nil pernicioſius eſſe teſtantur Auctores, cum vapores inflammatorii ad inteſtina potiſſimum tendunt, vel eadem præpropere carbunculis obſeſſa videntur, omne adſtringentium & roborantium genus incaſſum uſurpatur. Sola a quibus aliquid in hoc caſu ſperari queat ſunt *refrigerantia & reſolventia*; quam obrem celebre eſt *Riverii*, è *ſucco limon.* & abſinth. ſale conſtans

-nor

ſtans remedium. Cucurbitula magna ſine ſcarific. a multis laudatur. *Vomitoria* quidem, venenum ſi propiore via per gulam illapſum fuerit, ſimul & halitus illos acres atque calidos humoribus involutos, cum non exigua caloris pabuli bilis viz. parte ſubtrahendo, laudabilem editura videntur effectum, ac in frequenti uſu fuere *Gr. Horſtio & H. Sayer* apud *Williſium.* Verum cum in affectu acutiſſimo multum temporis ſurripiant, nec in ea ægrotantium multitudine ſemper præſto eſſe queat Medicus, vel non vocetur inter initia, ab iis abſtinendum eſt. Quanquam lubens tale ſub inſultu primo exhiberem, modo de iis per experientiam conſtet, quod in hoc morbo diarrhœam, quam in aliis acutis præcavent, non promoveant, cum exantlato hoc eluvionis penſo, refrigerantia majori commodo exhibenda videantur. Pro revellendis vero evaporationibus calidis caput impetentibus, allium pedum plantis, vel catapl. ex fol. rut. rad. raph. ſale com. acet. forti, vel fermento acri applicetur.

§. XVIII. Verum inter omnia, quæ Peſtem comitantur, ſymptomata, nullum magis pertimeſcitur ac *ſopor*, affectus, ſeu ex ſpirituum animalium confuſione, ſeu defectu ex obſtructione corticis cerebri, (quacunque de cauſſa) commeatu & ſupplementis ex liquore vitali denegatis, ſeu aliunde ortus, cui expugnando adhuc impar fere medicina. Inſignem vero, non aliter ac in Variolis cum comate admodum confluentibus, in humoribus perturbationem & confuſionem adeſſe ſuſpicarer, hic æque ac illic cum copioſis ſignis externis ægro graviſſime decumbente. In eo & deterior ita afflictorum conditio, quod præ ſtupiditate medicamina non curent, nec ſitim ullam ſentiant, dum tamen, licet in externis moderate caleant, nec vultus æſtus indicium ſemper præbeat, calore vehementi intus torrentur. Notatu dignum, quod depulſo vel declinan-

te comate, æger in delirium, utplurimum tamen non ita ferox, tandem delabatur, & tum demum facies ruboreinfletur, bubones & carbunculi copioſe prodeant; quod ſatis evincere poteſt, utrumque tam delirium quam coma ab eadem cauſſa proveniſe, licet hoc a longe majori. Quapropter ſpiritus vitr. q. ſ. exhibeatur; æger ad potum compellatur, & monente *Sydenham*, caput radatur, quo cerebrum refrigeratur, admodum & recreatur, ut ſenſim calidas impreſſiones vincere queat. *Paracels.* cujus beneficio multa præſtantia habemus medicamenta, *fotum ex beton. major. ſalv. flor. ſamb. ros. r. in acet. & vin. coct.* commendat. Et vir celebris admodum *A. Q. Rivinus analeptica* exhibenda ſuadet.

§. XIX. Si æger omnem *urinæ reddendæ facultatem amittat*, regione hypogaſtrica interim per multos dies & ad mortem usque in nullum tumorem elevata; a nullis quicquam quæ in hoc caſu præſcribuntur, remediis, quod ſperemus habemus. *Sydenh.* regimen variolis adaptatum in uſum duci & explorari debet, an pro diro hoc ſymptomate amoliendo quicquam valeat. *Cæcitas*, jam fugata Peſte, *Væ Sne & catharſi* tollitur.

§. XX. *Bubones* in glandulis, *carbunculi* in carnibus & ubique fere comparent. Diſſilientibus & ruptis fibris ſanguineis, tenuior ſeri ac lymphæ pars dimittitur & exprimitur per poros & fracta vaſa, unde ad occurſum cuticulæ in motu præpeditum in veſiculam, vario a ſubjacente carbone colore tinctam, colligitur; reliquum adurente dolore ſubjectas partes lancinat, & ſpiritu vaſisque deſtitutum in gangrænam & ſphacelum tandem abit. Bubones a cauſſa minori, carbunculi majori proveniunt; hi in canaliculis arterioſis, illi venoſis aut intermedio quodam vaſe naſci videntur. Utrorumque curam

non

non attingo, cum conveniente methodo præpediri eos poſſe imo debere exiſtimem.

§. XXI. *Variolæ*, quæ quibusdam conſtitutionibus, non adeo longo intervallo a Peſte diſtare videntur, in America vero ſub appulſu primo adeo ſævierunt, ut integræ provinciæ incolis ſuis orbatæ & in ſolitudines redactæ fuerint, cum reliquis affectibus, quæ ab inflammatione proveniunt, vel eandem conjunctam habent, hanc curandi rationem per regimen & medicamenta refrigerantia multum comprobant. Nec alia forſan de cauſſa a morte quaſi revixere Peſte oppreſſi apud *Hildan. Cent. II. Obſ. 95. & 96. Gr. Horſt. To. II. Oper. L. XI. Obſ. 9. & G. H. Velſchium Obs. Med. Episagm. ult.* partim pro mortuis habiti, peplo involuti & in tabulato repoſiti, partim a Veſpillonibus jam elati & frigida terra ſubmerſi, multa poſt annorum ſpatia conficientes. Sed hinc nil aliud deducere voluit Chirurgus, quam quos Peſtis jugulat, nimis cito inhumandos non eſſe.

§. XXII. Neque tamen jure quis objecerit, venenum quod ejiciendum erat, hac ratione ſperni & in viſceribus detineri; cum plus ſatis præſtitiſſe in hoc morbo exiſtimandus ſit, qui in id præ ceteris incubuerit, quo diffringentis iſtiusmodi veneni effectus, dubium ſub axillis, in collo & pone aures bubonum, aut magis perniciosum carbunculorum & vibicum (diſſolutæ Sang. Maſſæ indices) proventum impediat, vel ſi id minus efficere concedatur, id ſaltem obtinuerit, ut hæc omnia mitiora evadant, & æger in eum ſtatum reducatur, quo, exemplo eorum qui cum bubonibus ſuis obambulant, morbo ſupereſſe atque inducias a ſævitia ejus impetrare queat. Taceo nunc jucundisſimum illud refrigerium, quo grati & benigni liquoris ad arentia viſcera appulſu ægri oppido recreantur ac vires recipiunt: methodi præterea ſimplicitatem cum remediorum vilitate con-

junctam, quibus pauperibus, qui maximam Reip. partem conſtituunt, ex æquo ſuccurri poteſt. Vivimus & ſalvamur paucis optime.

§. XXIII. Quodſi quis nihilominus curam *per ſudores* inſtituere voluerit, licet calor urens, inquietudo, anxietas, ſpiritus difficultas & alia contrarium ſuadere videantur, fiat id non vulgari modo, de quo ex triſtiſſima experientia conſtat, quam ſit inefficax, ſed Methodo a *Th. Sydenham* excogitata: ex qua poſt VæSnem peſte correptus longis ſudoribus indulgere debet, qui hauſtulis *Zythogalæ ſalvia alteratæ*, vel *cerevíſiæ*, cui *macis* aliquantulum incoctum fuerit, ſuſtentari & ad naturalis diei ſpatium continuari debent; ægro a finito ſudore per horas adhuc 24. in lecto ſe continente & frigus caute devitante, in ſequenti luce exhibito cathartico communi. At *purgans* in priori methodo, ubi omnino neceſſarium, prius non exhibeatur, quam calor & potiora ſymptomata remiſerint, & hoc iteratis vicibus, ac præmiſſa, ſi opus, *Væ Sne. Cocta non cruda medicari oportet.*

§. XXIV. Ex *hidroticorum* materia non *theriacam*, jam tum *Valeſc. de Tarant. Capivaccio* & aliis ſuſpectam, vel alia calidioris cenſus remedia conquirerem, ſed ea potius, quæ nullo ſenſibili calore, aut contra manifeſta refrigerandi vi prædita, in eliciendis ſudoribus interea ſat efficacia, exhibenda judicarem. *P. Sorbaith* plurimum commendat *pulv.* ſuum *alexiph. refrig. ex myrrhæ r. ſl. ♃is, Nitri præp. a. ℈j. & camphoræ gr. v.* conſtantem. *liquor C. C. ſuccin.* præſtans hidroticum præ aliis eſt. it. *ſpir. bezoard. Buſſii & Olitſchii.* Quin & omnia illa ſuperius relata, modo regimen accedat, copioſos ſudores eliciunt. *Spir. Vitr. Mixt. S. & tinct. bez.* ingreditur, imo ſolus ſudandi gratia a multis laudatur. *Laur. Gieſeler*, ex cujus *de Peſte Brunſuic. anni* 1657. *Obſervatt.* multas concluſiones deduxiſſe

xiſſe nos fatemur, in *Præfatione* ad dictas Obſerv. terrea illa maxime cum acidis mixta laudibus ſat celebrare nequit. Imo Inſignis vir *A. Q. Rivinus de Peſte Lipſ. Ocul.* 69 cum aceto & Peſtem & tumores peſtilentiales penitus ſolviſſe obſervavit.

§. XXV. *Prophylaxin*, de qua prius dicendum erat, quod ſpectat & pro aere purificando, a multis ſeculis, tanquam ab *Hippocrate* inventus, celebratur *ignis*; qui ad abigenda vel concremanda peſtifera contagia, multus magnuſque ſit oportet, qualem nec ædificia noſtra, nec ſani æſtate, ubi maxima vis morbi, ferre, nec ſylvæ ubivis locorum alere valerent. Utcunque conclaviorum aer juniperi flamma nonnunquam ventilari poterit, vitato craſſo & involvente fumo. Præſtaret omnem commercii neceſſitudinem cum locis infectis, non ſolum per hiemem, & ubi jam deleta exiſtimatur Peſtis, ſed & perlongum tempus poſtea, magna cautione interdicere. Qua ſola ratione ſuperiori ſeculo referente *Sydenham*: *Peſti per univerſam fere Italiam immaniter graſſanti Magni Ducis cura atque prudentia aditum in Hetruriæ fines penitus interclusit.*

§. XXVI. Pro aeris maſſa, ſi id noſtris viribus fieri queat, in integrum reſtituenda, & ad miaſmata delenda, haut ſcio an in univerſa, qua patet rerum natura, quicquam reperiatur, vel ſaltem notum ſit, aptius aut quod efficaciter æque hic ſe ſiſtat, ac *ſulphur*, θεῖον quondam dictum. Hujus enim incenſi beneficio, non ædium modo, ſed & magnarum urbium atmoſphæra evaporatione acida, exiguis ſumptibus repleri poteſt; quæ quidem aciditas aeri convenienti modo & ſat diu transmiſſa, magis ad venenum vel delendum vel enervandum olim forſan facere comperietur, ac quicquam aliud. In Ægypto cum ſol 69 ſignum ſubierit, eteſiis, intermedii maris vaporibus acidis impraegnatis, ſpirare incipientibus, Peſtis protinus fugatur. Id modo notamus in περιθειώσει hac, *ſulphur* non

car-

carbonibus, cum tum mire fœteat, reſpirationem impediat ac aciditas ejus plurimum deſtruatur, injiciendum, ſed in filis vel potius patellis terreis aut vitreis accendendum eſſe.

§. XXVII. Pro *præſervatione particulari alexipharmaca compoſita & ſimplicia*, radices maxime, quæ compoſitum & theriacalem quaſi ſaporem aut odorem habent, a multis laudantur. Verum ut non memorem effati illius, quod quæ Peſtem curent ab eadem quoque præſervare valeant, in experientia vanitatem & defectum, calidis hujuſmodi medicamentis corpora ad majorem inflammationem diſponuntur, vel adeo illis aſſueſcunt, ut fruſtra omnino fuerit, qui his poſtmodum ſudores elicere voluerit. *Imo Vinum*, inquit *Sydenham*, *liberius ingurgitatum, aliaque fortiora præſervativa ſtatis horis diætim aſſumpta, complures, qui alias ſalvi intactique veriſimiliter permanſiſſent, in hunc affectum conjecerunt.* Quin contra efficaciſſima comperta ſunt *acida*; Inſtar omnium ſit *Fr. Sylvius*, qui *aceti* uſu in Peſte Amſtelodamenſi immunis perſtitit, quod cum aſſumere deſiiſſet, quoties infectam ingrediebatur domum, dolorem capitis ſemper ſenſit. Sed pauci diutinum ejuſmodi aceti uſum ferre poſſunt, & *aciditas ſulphuris* univerſali magis juvamine hic ſuccurrit. At *catharſis*, qua id cunque ratione contingat, omnibus aliis quæ ore aſſumuntur, anteire videtur. *Sæpenumero obſervavi*, ait *Sydenham*, *Catharſin reiteratam ſanguine nondum inquinato, ſubſequentes Variolas laudabiles & diſtinctas ut plurimum reddidiſſe.* In hunc finem a multis jam ſeculis commendatæ & expertæ ſunt *pil. peſtil. Ruffi*, quarum eadem ingredientia, quæ *elixir. propr. Paræ.* mutato ſolum pondere, & alia hic operandi ratione præſente. Prægnantibus vero, infantibus, & qui aloetica ferre non poſſunt, alia exhibenda. *Teſtor fidem & conſcientiam meam, neminem illorum, qui horum morſulorum (ex pil. peſt. R. ingre-*

gredientibus compoſitorum) uſum ſibi fecerunt familiarem, vel Peſte infectum, vel diem ſuum, quod ego ſciam, licet diligentius in id inquiſiverim, obiiſſe, verba ſunt L. Gieſel. Obſ. X. Amuleta omnia non ex ſe, ſed fiduciam & animoſitatem conciliando juvare poterunt: *ſuccinum*, ni fallor ab *Helmontio* commendatum, de collo ſuſpendere cui libet licet.

ADDITAMENTUM
De THERIACA maxime COELESTI.

CUm poſt *Andromachum Cretenſem* omnium fere ſeculorum memoria, non in Peſtis modo, ſed & aliarum, quæ humanum corpus affligunt, ægritudinum curatione, celebris admodum eſſet *Theriaca*, poſterioribus temporibus Chymicorum ſolertia eandem primum reformare, poſt evehere in *Benedictam*, tandem exaltare in ipſam ſic dictam *Cæleſtem* cœpit; quæ in minori pondere & fortaſſis majori virtute, ad omnia ea mala efficax & mirabilis quaſi foret, ad quæ leviori ac ſimplici magis artificio compacta illa commendatur. Primus omnium, qui hoc laboris aggreſſus, fuit *Joſ. Quercetanus*; ſed ſub naſcentis tum Chymiæ primordiis, vel quod ipſe in operationibus chymicis non adeo exercitatus eſſet, in multis vir iſte hallucinatus eſt; In viperarum ſcyllæque præparatione, & quod volatilem multorum ſubſtantiam penitus neglexerit: multo vero magis in *ther. cæl.* dum extractum hoc jam debilitatum ulterioribus ſolutionibus & inſpiſſationibus prorſus enervavit, in ſolutionibus res inoſiora & oleoſa non attigit, ſed magmatis inſtar reſidua poſtea penitus difflavit & in fumos abegit combuſtione ſua, quo inde ſalem obtineret. An *terrea, precioſa, ſolutiones & magiſteria gemmarum aliorumque* defectus illos compenſare, vel cœleſtem efficere valeant, ego quidem multum dubitaverim. Ut proin attentior aliquis non injuria hinc elicuiſſe

D cenſe-

cenſeri queat, *Cœleſtem* tantum efficacia ſuperari a *Benedicta*, quantum hæc a *Reformata Quercetani*. Non caret erroribus proceſſus communicatus a *J. Schrœd. Pharm. Med. Ch. L. II. C. LVII.* Volatilitas enim ingredientium multo prius labore ſervata, poſtea tamen fruſtra diſperditur : in eo vero penitus eſt ridiculus, quod medietatem aromatum, & reliquorum extrahendorum in minorem molem redigere, alteram vero partem in ſubſtantia addere voluerit; forſan quo aliqua ſpirituoſitatis pars his immergi queat; ſed hoc eſt Ther. cœleſt. i. e. in minorem molem redactam, & non, velle. Pharmacopœi, qui medicamentum hoc in magna quantitate parare ſolent; qualem ſervent modum, ignotum mihi, cum nunquam in arcana hæc irrumpere animus fuerit. Id interim conſiderationem meretur, ἀκρίβειαν illam, quæ in vulgari Theriaca obſervatur, dum ſimplicia, vel eorum ſubſtituta omnia ſelectiſſima, eaque nec plura, nec pauciora habere optamus, hic omnino deficere, aucto, in remedio jam tum mole ſua laborante, ad 150. usque ingredientium numero, & conquiſitis ſupplementis partim ex Ther. a Romanis & Bononienſibus ad myrobalanos usque aucta, partim novis ſuperadditis, partim diſputatis & dubiis cum ſubſtitutis ſuis conjunctis. Non vocabimus nunc in litem, quo jure *agaricus & rhabarb. gum. arab. bitum. jud. ſucci* & alia, nulla comperta alexipharmaca vi prædita, *Theriacas* ingrediantur, cum horum nulla vel languidior virtus vegetioribus quibusdam reſarciri, aut ex multifaria illa mixtione tandem maſſa prodire queat, quæ ſudorem moveat, vel ob calefactoriam & roborantem ſuam vim in morbis quibusdam non ſine fructu exhibeatur; id modo diſpiciamus, an quæ vel communem *Androm.* vel *Benedictam Cœleſtemque* conſtituunt ingredientia, ſine virium amiſſione ita præparari, extrahi & concentrari queant, ut quod promittit nomen, remedium reipſa

obti-

obtineatur. Primo loco & in acie multo pondere ſtant *Troch. ſcyllit.* & *ſcylla* vario labore & coctione in acrimonia (vi viz.) ſua mitigata, & multa quondam *ervi farina*, (ſecundum *Dioſcor.* ſanguinis fluorem tam per veſicam, quam anum non ſine maximis torſionibus proliciente, & juxta *Galen.* tetri ſaporis ac ſanguinem vitioſum generante) at poſtea cum *fraxinellæ* præſtantis pulvere formati, quos ego, ni fruſtraneis laboribus parcens ſeorſim radices tractare voluerit, omni licet ſquilla carentes, pro extracto parando longe aptiores exiſtimarim, quam ſcillæ additique allii (nec alliaria facile ſupplendi) pulpam aut ſuccum in Benedicta, cum, ut paucis dicam, quacunque ratione tractentur, exſiccari nequeant. *Troch. de Viperis* ex Italia qualibus? cum copioſo etiam pane paratis & ſat traductis a *Zvvelff.* ob morſum forte quondam, & ut ad plagas ſub gr. $\frac{1}{4}$ aut amplius $\frac{1}{3}$ & demus $\frac{1}{2}$ pondere reliqua quaſi dirigant aut deducant, adjectis, *viperæ* cum *colubris* noſtris ſubſtituuntur, nulla arte præ pulvere earum in minorem molem redigendæ, cum gelatina nil niſi caro ſoluta & exſiccata ſit, deſtillatio vero forſan non adeo expetatur. *Piperum* genera, cur non & mitigata? *cinnam.* aromata alia & quæ huc pertinent ex *Androm. & Bened.* extracta nullarum virium, at ſpiritum, cum multa in oleum reduci æque nequeant, vel ſimul magnam virium partem in aqua deponant, deſtillata bonum exhibent, qui conjunctus cum eo, qui ex altera quaſi claſſe, quæ volatilem fixamque præbent ſubſtantiam (*roſ. r. caſſ. l. Zed. cal. ar. ang.* & aliis plurimis ex utraque) educitur, liquidi plurimum largitur; quod an extractis, ſuccis inſpiſſatis, & iis quæ hic artificis manum eludunt, tota bona ſunt, nec ad minus pondus cum viribus ſuis reduci poſſunt, *myrrh. viz. olib. maſt. gum. ar. terra lemn. bit. jud.* & in *Bened.* adjectis *ſandar. terra ſig. ſucc. camph. C. C. phil. præp.* h. e. gelatina ſpoliato, ſed in cæle-

ſti rurſus adjecta) cum deſtill. *oleis nuc. moſch: caryoph. ſucc. te-reb. & ſpir. vitr.* (cum nigredo hic ſine chalcit. proveniat) ita combinari vel jungi queat, ut pil. & ſolida etiam conſiſtentia, in ſeculum & ultra efficax proveniat, id eſt, cui ego fidem adhibere nunquam queam. Sunt & ingrediuntur Theriacas ſimplicia, quorum nativam bonitatem ac vires potius pervertimus præparatione, qua easdem augere ſtudebamus. *Zinzib.* utut acerrimum, licet in aquam oleumque deſtillari queat, in inſipidum tamen aut alienum quid abire videtur: *card. ben.* in pulvere ſat ſudoriferus, nec in extr. nec in aqua idem præſtat. *rad. aſari* in ſubſtantia vomitoria in decocto vires amittit, & *agar. rhabarbarique extr.* quis languere neſcit? atque idem forſan patiuntur *Scorzon. ſcord. gal.* & alia, quæ alexipharmacorum claſſi accenſentur. Tandem quibusque menſtruis, convenientibus, aut minus, & quali quali etiam *Extracto ther.* parato, ſeu *Theriacæ* Bened. quo tandem *Cœleſtis* & inæſtimabilis evadat, multa ſpe atque promiſſis, cum Vegetabilia fere deficiant, adduntur precioſa: *ambra, lap. bez. perl. & gemmarum* durum genus; in ſe bona, convenienti doſi, at alia ratione, ſuum agentia: *corall. mat. perl. lap. 69 unic. terr. ſig.* &c: aut pridem expuncta horum aliorumque *magiſteria*, *ſalia*: *bez. miner. anim.* ſeu *viperarum*, in Bened. forſan philoſophico magis artificio præparandarum pulvis, & *gelat. CC.* phil. præparato ſubtracta. Omnia ſub granulari *Cæleſt.* doſi & hinc atmoidea participatione extracti ther. vires minime augentia; vel ſi copioſius accedant, amplius nil, cum horum doſis in gr. aliquot nihilominus nimis parca, præſtantia, quam ut extract. liquidius nonnihil exſiccent; licet omnino fieri nequeat, ut ſpirituoſitas ſi non omnis, potiſſima ſaltem immergi, aut conſervari in his queat. Et profecto ni præſtantiſſimum *opium* Ther. ingrediens, ac in multis aqueis maxime quæ hic adhibentur, liquori-

bus

bus diffluens, tam parvo pondere tanta efficacia præditum eſſet, languerent admodum Theriacalia iſtiusmodi extracta, & debilia forent, prævulgari Theriaca, cujus doſin *mel* potiſſimum, quod hic omittitur, auget. Qua de cauſſa fieri credo, ut infans præcipue viribus omnino deſtituta dici nequeat ; quanquam adulta magis & annoſior, fatiſcente, ut fert rerum natura, ſimplicis virtute paregorica, vires ex hoc capite cum annis amittat. Singularem vero mixtionem, correctionem & *laudanum* hac ratione laudatiſſimum factum, his temporibus ſomniare nemo poteſt. Atque hinc Medicus ſuarum rerum bene gnarus, pro circumſtantiis ac variationibus quibusdam, ex 20. 30. aut amplius 40. quo viz. compoſita magis & theriacalis quaſi proveniat, ſelectis ſimplicibus, e vicina magis terra erutis, extractioni revera ſubjectis, triplum mellis indifferentis multo virtutis augmento ſupplentibus, aliis vegetioribus, compactioribus proportionali magis, & præparatorum demum conſtituto pondere, eſſentiis, ſpirituque vitr. calidiora temperante & cum deſtillatis oleis in ſingulare quidvertendo, omiſſis terreis (ni *CC. Salæ diaph.* adjicere placeat) abſorbentibus alius virtutis, nec in unum aut commune quid hic deſinentibus, pauco ære parabit ſibi *Theriacam* parvo pondere omnia hujus generis *Electuaria & Extracta anti & peſtilent.* æquantem aut etiam ſuperantem. Non memoro jam ſolidam illam (quæ tamen, ubi expetitur, liquido magis, tanquam compluribus formulis mixtu commodiori, extr. aut. electuario, intermixto *bez. min.* aliisque diaphoreticis pulveribus, ex tempore conciliari poteſt) pilularem viz. & ſudoriferis ineptam conſiſtentiam, ac ingens, quo paſſim venit, precium, ut ſcil. labores, non adeo magni, expoſitio, variis falſationibus adhuc expoſita, inſpectio, aliis potius debita, expenſæ & genialis illa ocioſorum ſpectatorum cœna ex aliorum ærumnis probe redimantur, ut habent verba Pharmaciæ Principis, *Dan. Ludovici.*

 Et

Et de Purgantibus.

QUandoquidem *noſtri ſoli purgantia*, partim quod deſidia, aut ex adverſo vehementiora & virulentia quaſi, nullius utilitatis, partim quod, ſi ad morborum propulſionem naturam in qualibet terra ſufficientia remedia produxiſſe certum eſt, inexplorata fere ſint; exotica multorum ſeculorum experientia comprobata, merito in frequenti uſu ſunt, tamdiu donec meliora innoteſcant. Nec enim deſunt, quæ attentior circa uſitatiora ac reliquis prælata, deſiderare queat. Nam *ſennæ* quidem *folia* annoſa ſæpe, & ni debite adhibeantur, torminoſa: *rhabarb.* nimiæ molis & precii nonnunquam; *infuſa* horum, quo eorum natura tendit, nauſeabunda omnes haurire nequeunt: *aloe* non omnibus, maxime ubi vinum bibitur, convenit & laxat ſaltem; *Jalappa* bona quidem, ſed nauſeas, in pulvere præſertim, creat, & præter aquas nil fere educit: *ſcammon. jalappiique magiſt.* elegantiſſima & gratiſſima, oleoſis, nuciſta, ſpir. vini, ſaccharo bene ſubacta & diſperſa, in permultis renitentioribus turba tumultuque confundendis, ſecura ſatis & efficacia ſunt, at in caloribus, & iis, qui ſicciore fibra præditi, minus conveniunt, & ſuperingeſto, ut nonnunquam fit; potu maxime frigido, immania tormina hypercatharſeſque concitant. Quare ingens is ad Medicinam acceſſorium attuliſſe dicendus foret, cui poſt tot irrita tentamina, arte chymica catharticum, abſque nauſea ac torminibus, parvo, emeticorum inſtar, pondere κάτω ſolum, ſecure at ſat efficaciter morbis viam aperiens, orbi ſiſtere contingeret. *Antimonium*, cum *Mercurius* varie tractatus, præter *dulcificatum* (debilem & ni vegetabilibus extimuletur, reſidem, quin in ſalinis non tutum ſemper) & in refractariis quibusdam *turpethum*, aut aliud ſecurius, nihilominus plerumque nequam ſit, pro cathartico parando a pleriſque verſatioribus præ aliis eligitur. Seceſſus mineralia hæc, pan-

chy-

chymagoga quaſi, vel per accidens nonnunquam ſubſecuti, profecto longe præſentius quid conferre videntur, præ Vegetabilium ſollicitationibus *Ludovici* monito; cui quid circa *oxyſacch.* ſuum *vomit.* aliquando contigerit, obſervari meretur. An apud *J. A. Stiſſerum* ex antimonii in menſtruo minerali corroſivo ſolutione, per ſpir. ſalis amm. præcipitatus pulvis, aqua calida ablutus, & cum ſpir. vini ſali volatili nupto digeſtus, hinc exſiccatus, in duobus ægris catharticus tantum, poſt crebriora, ſi placuerit, experimenta vulgandus, ex omni parte ſacturus ſit? ultra an hic ipſe, a rejecto in *Pharmacia* ſalino coagulo, quod, ſi ſalis tartari part. V. but. antim. p. VIII. inſtillentur, ſubito provenit, & ad gr. V. vel. VI. elotum vero (ſed mitigante parte ſic ſubtracta) ad ℈ II. vel III. alias non incommode datur, in præparandi modo adeo effectuque revera differat? dies forſan docebit. Roma, Chymiæ alias ignara, primum transmiſſa dicitur *magneſia* ita dicta *alba*, ultra vias primas, ſi vere quid præſtet, ſe non extendens, purgantiſque ut videtur titulo indigna. Nam cum acores & aciditates, ſi hypochondriacos & puſiones exceperis, in permultis aliis adeo accuſatæ, fruſtra forſan quærantur: cum ubi comparent, compactioribus, plus viz: abſorbentibus, martialibus &c. corrigi, feliciusque aliis expurgari poſſint: cum ſit *in homine & amarum, & ſalſum, & dulce, & acidum, & acerbum & alia infinita* &c. cum laxantia ſapida & inſipida habeamus *mechoac. mann. tamar. aloen. tart. arc. dupl.* & alia: cum leniſſima leviſſimaque ſubſtantia & ni in lacteſcentem, ſed jejunis ingratiorem, liquorem redigatur, ob amplam molem aſſumi fere nequeat; nulli ex notis adhuc præferenda & ob novitatem ſolum, ut in hac Arte fieri ſolet, ad aliquot tantum luſtra recepta videtur; nec injuria quæri quis poſſet, eſſe proceſſum in nitri optimi, vel etiam matris ejus perditionem excogitatum. Interim jam pridem nitrum in ter-

reſtrei-

reſtreitatem figi in antim. diaph. mart. a *Viro Expertiſſimo* obſervatum eſt. Proin merito in *Vegetabilium purgantium* ſelectu uſuque acquieſcendum nobis, uſque dum Chymiater aliquis catharticum minerale ſupra memoratum producat; vel e vegetab. Regno ex Indiis, aut aliunde afferatur purgans, hactenus notis anteferendum; vel poſtliminio tandem innoteſcat illud, quod, Romæ olim a peregrinatore magno precio divenditum, ſuccoſum, oleagineum & ſevi bovini ſaporem referens, unius vel alterius grani pondere optime evacuaſſe *Hœferus* memorat.

EPIMETRA.

I. *TRimeſtris puer omnia præ ſe fert & lac tunc habet.* Hipp.

II. *Falſum hominem ex ovo generari; falſum in ovulis delineatas eſſe omnes partes.*

III. *Camphora eſt frigida. Opium eſt frigidum: eſt mirabile concretum, diverſo tempore, & in diverſis perſonis diverſas obtinet proprietates: eſt antifebrile, antivarioloſum, antidyſentericum, antihypochondriacum, antimaniacum & ad alia infinita fere utile: eſt præſtantisſimum cordiale, ac denique aphrodiſiacum potentisſimum.*

IV. *An ex erratico papavere, cujus ſemen frigidius ac reliquorum, & cujus ideo uſum vetat* Galenus, *extractum parari poteſt, exoticæ maſſæ par aut ſuperius? Experimentis rem tentabimus, & experientiæ committemus, quid hinc & aliunde debite parata extracta valeant.*

V. *Ex granis ſecalis, intermixtis, ad unctuoſitatem conciliandam, aliquot amygdalis toſtis, præ aliis frumentaceis & leguminoſis, a verſato parari poteſt* Cafe, Arabico *odore ſaporeq; proximum, quin & omnibus iis, ob quæ peregrinum nocet, vitiis ſubjectum.*

VI. *Dantur ſpecifica & non dantur.*

VII. *In aquis ſuffocati aqua pulmones repletos habent.*

F I N I S.